

ciuiculi socio moneretur, ut attenderet, ne per imprudentiam peccet, et in morbum incidat, respondit: « Mi frater, prudentiam ego moderatioribus relinquo, obedire mea solius cautio est. » *Vita*, p. I, p. 30.

Septimana quidam ex S. Francisci Familia apud nos exercitia faciebat, cumque sacrum legeret, casu intererant Novitiorum aliqui. Jam in sacro ad tremendi Mysteriorum elevationem ventum erat, cum ecce pulsatur Novitii campanula, et repente, audito signo, omnes consurgunt, et abeunt. Post sacrum obstupefactus Pater, et conversus ad nostrum, tanta, inquit, de Societatis obedientia audivi, quanta nunquam credidi: nunc tanta vidi quanta audivi. *Hist. Soc.*, l. XV, n. 87.

Joannes Antonius Apulus Novitius sæpe a Magistro Novitiorum rogatus in morbo, quando mori vellet? semper, respondit: « Cum tu, Pater, veniam dederis. » Cui Pater, ergo, inquit, cras, hora secunda, morere; ita factum. *Ibid.*, l. XI, n. 19.

Idephonsus Lopez cum prius ipse fuisset medicus, et in Societate Coadjutor factus, gravi denique dolore laterum pressus, videret medicum ab ea curandi arte recedere, quam ipse longo usu expertus fuisset salutarem, magna cum animi tranquillitate ad ejus præscriptum sumpsit medicinas, et sic obiit. *Ann.* 1596, f. 557.

Pater Gonzalez Cardosus quamquam divinitus fuisset admonitus in eo, quod imperabatur itinere, sibi sceleratorum hominum insidiis esse occumbendum, non ideo tamen abeundo se continuit, sed jubenti dixit: « Ego vero iter ingrediar, sed scito, me neque eo, quo mittor, perventurum, neque huc porro reversurum. » Cumque ea dicta joco elevarentur, iter illud sibi supremum intrepide ingressus est, in eoque, monito prius socio, ut fuga se periculo jamjam instanti subduceret, paulo post ab impiis casus, obedientiæ laudem ab ipsa morte decerpit. *Jo. Ru.*, *Hist. virt.*, l. IV, c. vi.

Difficilius adhuc pietatis ardoribus, quam ingenio moderamur, quia honestas ejus retinendæ causa oblectari videmur; sed hujus etiam luxuriam veluti quamdam, obedientia depascit, ut ipsa validior injuria frugem ferat. Rodolphus Societatis ineundæ certus fuga se paterna et domo in nostram receperat, et repetitis parentis precibus, jubente Pontifice, tantisper apud suos esse jubebatur, simul explorandi constantiæ gra-

tia, simul ut aliquid justo patris dolori daretur; sed nec parentis lacrymas, nec virorum Principum, qui domum reducturi aderant, preces, nec Pontificis imperia, quæ subrepta esse dicebat, apud adolescentem tanti erant, ut quidquam illis concedendum sibi putaret; aditurum se ad Pontificem, et causam suam apud æquissimum Principem Christi Vicarium feliciter peraturum; illos vero inimicorum, non affinium partes sustinere, qui se e salutis portu abreptum, iterum furentibus rerum humanarum fluctibus vellet exponere. Talia dicentem ardenti ore, oculisque ubertim flentibus, quum flelere se posse desperarent, qui ad venerant, Proceres, Franciscus Borgia præpositus Generalis, qui adolescentis ardore fuerat delectatus, objecto obedientiæ nomine, monitumque, ne, dum contra legitima imperia acrius tendit, Societatem ipsam amitteret, cui obsequii cura esset prima; ita momento refrigeravit ut ne verbulo quidem mutire ausus, sed lacrymarum plenus abierit, currumque fratris conscenderit. Valuit obedientia egregiæ indolis index, et post aliquantos dies victor, ac tyronibus redditus, ejus sanctimonie locavit fundamenta, cui Salsetanæ palmæ coronam imposuerunt. *Ibid.*, ex. x.

Violentius adhuc blanditur Evangelii propagandi affulgens e propinquo spes, viris præsertim, quos hujusce operis amor extra patriam, Europamque, ultra Oceanum traxit, et nihilominus in hac tanta generosæ mentis illecebra obsequium Xaverii Caspari Barzæo potius fuit. Bis exemplum dedit. Ormuzii agitantem evocarunt, missis legatis Arabia vicini accola, ad quos viri fama pervaserat, et pollicebantur se, monita ac scita Christiana secuturos, si ad ipsos iret. Sollicitabant Persidis Regiones, quæ albam ac metenti opportunam messem ostentabant ex propinquo ipse ardens animi et longinqua aggredi paratus, et Xaverius ad Orientis fines, ignotamque Japoniam abierat, ut facile consuli non posset. His quamquam blandientibus, quia insula excedere Xaverius vetuerat, major fuit Barzæus, obsequii laudem tot Gentium conversioni præhabens, ne ducis injuria pugnet. Idem Goæ subsistere jussus, nulla rerum gerendarum spe, ab illo, quod obtinebat, presidio, elici potuit; sed ardorem animi in vicina vertens, tanto validius ad Evangelicum opus incubuit, quanto longinquis excursionibus pro-

hibebatur, nempe acrioribus finibus inclusum ignem, acrioribus flammis, in proxima grassari videmus. *Ib.*, ex. 12.

P. Joannes Baptista Piscator, B. Aloysii Gonzagæ olim Tyrocini Magister fuit, quod ad præcipiendam viri sanctimoniam prædicandum fuit, et Neapolitani Collegii Rector diem clausit extremum, ad illum usque obedientiæ summus. Ægro ac tenuiter spiritum recipiendi cibum (id erat ex cocto olere acetarium) obtulit valetudinarii minister, quem, ut alacrius sumeret, medentis prætendit imperium. Ad eam vocem nihil effatus Piscator, conniti, et quamvis stomacho reluctante, esse cepit, tanta vi, ut tumente ac rubente facie, oculi ipsi orbibus jam extantes, multo sanguine suffunderentur, ac spiritu intercepto pene suffocaretur: nec tamen desinebat, donec reversus administer propro inde inimicum naturæ cibum amolitus est, hominis virtutem sine fine admirans, qui debitam nostris ex legibus medicantibus obedientiam in tanto vitæ discrimine, vel verbo violare, religioni sibi duxerit; ut qui optime sciret, nobis quidem obedientiam votum esse, vivere opus non esse. *Ib.*, ex. 14.

Judicet viri sapientes, paremne, an majorem laudem meritis sit in eo, quod subjeciam, Hieronymus natalis; ego enim, qui utriusque factum arduæ plenum virtutis esse video, rem in medio relinquam. Missus ab Ignatio Natalis, ut per Hispaniam constitutiones a se longa meditatione descriptas evulgaret, atque interpretaretur, quamquam tantus esset, tamen modestiæ usurpandæ causa Pintia, quum a Borgia Collegii fundatore religiosi epulis exciperentur, easdem super mensam legere non dubitavit. Id maxime agebat, ad novum illud Ignatiæ prudentiæ atque sapientiæ lumen omnium animis suspensis, et ecce ibi a Borgia, qui aliorum quidem moderator, nullum tamen in Natalem imperii jus haberet, aliquid extemplo his, qui recitabat, explicandis, orandisque dicere jubetur. Res erat paulo durior, et humana sapientibus etiam iniquior, juberi ab eo, qui imperium in se non haberet, et personæ, quam sustinebat, auctoritatem extemporaneæ orationis periculo exponi. Sed potior Natali obsequendi cura fuit, et victo egregie animo constitutionum legumquestrarum celsitudinem facto ipso, cui paria verba non inveniret, luculenter approbavit. *Ib.*, ex. 15.

Invidendum veteranis apud Lugdunenses, celebri Joannis laudatissimi olim monachi exemplo revocato, obedientiæ tyrocinium Sebastianus Davinus deposuit. Jacentium enim temere in horto aridum ramum, ut depangeret, atque affunderet tamdiu quotidie aquam, donec viresceret, jussus, nulla præ absurdi imperii interpretatione usus, parere ut subito cepit; ita diutissime summa quadam alacritate perseveravit. Risum movere poterat vanissimus labor, nisi admodum comprobasset eventus, uberem esse obedientiæ fructum, illique ipsam parere naturam. Sive ea ignoti ligni conditio fuit, ut etiam aridum longa irrigatione iterum viveret, sive, quod vero propius, adolescentis obedientiam commendare voluit Deus, longos post menses rediit paulatim viror, et ramus jam arbuscula in novas se frondes, ignotique generis induit, actaque ad justam magnitudinem tyronibus, qui eam obedientiæ arborem appellaverat, diu exemplo fuit, atque admirationi. Nollem equidem novarum ædium substructione, in hortum progredientem excisam fuisse, potuit transferri, ut nobile virtutis monumentum; et loquere ne omnium oblivione exarescat, in hos virtutum hortos libenter intulimus. *Ib.*, ex. 30.

NECESSITAS. — P. Melchior Nunnus Indie Provincialis in Japoniam primum, postea ad Sinas Evangelii promulgandi causa profectus, nullum fere aut exiguum fructum fecit; causam satis clare indicat historia Societatis, qui scilicet illud iter non susceperat Superiorum nutu, sed suæ pietatis, Sociorum et Prærogæ impulsu. *Hist. Soc.*, p. I, l. XIV, n. 431.

Cum anno 1552, omnia inter nostros Comimbriæ turbarentur, jussit S. Ignatius P. Michaellem Turrianum, et P. Borgiam ex Hispania eo se conferre; sed cum res per se viderentur jam compositæ, necesse non duxerunt illi, loco se movere. Verum dein graviores turbæ exortæ sunt, quæ ex omnium sententia eventuræ non fuissent, si dicti duo Patres in Lusitaniam se, ut Ignatius jussisset, contulissent; nimirum, ait Orlandinus, summa potissimum capita Deus movet, doctique, ac multa in rebus gerendis per imprudentiam prudentium nimis Administratorum peccantur.

Scripsit P. Laynes Provincialis Italiae ad S. Patrem Ignatium, leniter expositulans, quod omnes Patres Romam vocaret. Respondit S. Pater, dolere se vicem Laynis, quod,

licet admonitus, nondum tamen communia privata anteponebat, rescriberet proinde, quid poenitentia ob hanc culpam subire vellet; cui respondit Laynes, se has litteras non semel multis cum lacrymis legisse, ac angere vehementer, quod Parentem suum hac in re offenderit, quodque viginti annis nondum perfecte iudicium suum deponere didicerit. Dolere se summopere, agnoscere culpam, ac petere, ut se quamprimum Provinciali, concionibus, aliisque litteris æternum exneret, Romam vocaret, et vel ad culinam, vel ad hortos, aut domum purgandam, aut Grammaticam docendam æternum, si vellet, et quamdiu vellet, manciparet, vel si menstruas disciplinas aut jejunia imponeret, omnia se facturum pro culpa hac expianda. Satis id fuit S. Ignatio voluisse. *Hist. Soc.*, l. XII, n. 22.

UTILITAS. — S. Franciscus Xaverius scribens ad P. Paulum Camertem, credas mihi, inquit, tibi que persuadeas velim, nihil esse tutius atque ab omni errore remotius, quam semper optare sibi ab aliis imperari, et imperantibus ex animo obtemperare. Hinc saepe, licet de subditorum obedientia non dubitaret, tamen sub obedientia imperare solebat pro majori, ut aiebat, ipsorum merito. *Lib. II, epist. 1.*

P. Caspar Barzæus Gœ in morbum lapsus a P. Antonio Gomio Rectore per jocum jussus est convalescere quamprimum, quod imponendam humeris ejus crucem domi jam paratam haberet. Postridie P. Caspar de cubili surgit, Gomio se sistit ad omnia expeditus et alacer. Idem ex tempore jussus concionari in refectorio, tam expedite id fecit, ut nunquam meminisset, se solutus dixisse, et cum majori fructu. Alio tempore a Comio Rectore jussus Andream Carvadium Ducis Alcaesii filium ad Societatem adducere, fecit, adduxit. *Hist. Soc.*, p. I, l. VIII, v. 120.

P. Baltassar Alvarez aiebat, securitatem in agendo cum proximo, cum ex obedientia sit, esse valde magnam, adeo ut si quis obediendi causa infames feminas accederet, ut illas Christo lucraretur, cum eis agens mundissimas cogitationes haberet, quasi esset aliquis Angelus; et si ex propria voluntate in cubiculo suo maneret, fœdis ibi cogitationibus uteretur. Ipse nunquam animus abiebat in arduis, in quibus obedientia illum collocabat, etsi adverteret se talentis destitutum ad eas sustinendas. Di-

cebat enim, ex quo Deus religiosum posuit, ipse eundem deducet, etiam cum profectus; quod si illum plus oneret, quam ferre possit, seipsum onerat, quia in se recipit supplicem, quod illi deest. *Vit.*, c. ix.

Neapoli Magister quidam ob culpam jussus a Bohadilla cibum humi sumere, et frigida levare sitim, cum apud Oviedum quæreretur, se poenitentiam talem sine valetudinis detrimento peragere non posse, hortatus est ipsum Oviedo, ut alacriter pareret, nam frigida poculum medicina calicem fore; paruit ille, atque ex eo potu, et sessione convuluit, firmiorque est factus. *Hist. Soc.*, l. XII, n. 25.

JUCUNDITAS. — B. Aloysius dicere solebat, se magnopere recreari, quod sciret, Religionem navi esse similem, in qua propter obedientiam non minores facerent progressus, qui jussu Gubernatoris otiosi sedent, quam qui in renigando desudant. *Vita.*

P. Joannes Gerardinus Belga quatuor votorum Professus in agone rogatus, quid de obedientia sentiret, respondit: Qui vult letus esse in agone sit obediens Superioribus, et resignatus ad omnia officia. *Annal. Lithuan.*, *Coll. Bulton.*, 1606.

P. Nicolaus Denotarius olim Provincialis Romæ moriturus cum rogaretur a domesticis, quid vellet eos meminisse? respondit, studium obedientiæ se commendare; id enim sibi in hoc articulo mortis summam securitatem afferre. *Annus* 1586, p. xxix.

P. Ignatius Martinus dicebat, id sibi solatii, etsi ad immortalitatem consequendam præsertim esse, quod nunquam meminisset, egisse se, ut ad suam voluntatem flecteret iudicium Superioris. Unde obtemperavit illis summa semper fide, nunquam de præsidio et statione decessit, in qua obedientia illum collocavit. *Annus* 1598, f. 158.

EXEMPLA PROFANA.

Agesilanus celeberrimus Lacedæmoniorum Dux cum ei rem non minus feliciter, quam fortiter gerendi mandata ab Senatu alata essent, quibus domum revocabatur, e medio scilicet honorum cursu, ommissa rei prospere conficienda maxima opportunitate, domum illico se recepit; quod quidem majori laudi, quam universa reliqua illius facta, ducebatur. *PLUT.* ap. *RODR.* p. III, tr. v, c. vii.

Chysantha miles cum elata jam ac vibrata bipenni hostem esset percussurus, ut tubam recepturi canentem audivit, actutum ab hoste illaso, placide ac compositè recessit. *XENOPH.*, l. IV, de *Lyri dis.*

Pausanias Græci agminis Imperator cum inter sacrificandum Mardonius Dux Persarum inexpectatus irrueret, suos omnes abjectis ad pedes clypeis jussit quiescere, nec prius hostem repellere, quam pugna signum daretur. Quod illi tam obedienter præstiterunt, ut, licet plures eorum ab hoste jam cæsi fuissent, nemo tamen inventus sit, qui ante signum pugnae hostem repellere tentaret. *PLUT.*, t. I, in *Marc.*

Duo Turcarum Principes, Mustapha, qui Cyprum expugnavit, et Mahometes, in colloquio cum oratoribus Christianis habito dixisse feruntur, mirari se, in Europa non severius in rebelles, et seditiosos cives animadverti; suum quidem hominum uti pro symbolo his verbis: Aut moriendum aut obediendum. Et hanc legem ab omni Principe inviolatam esse servandam. *FLORIM. REMOND.*, l. IV, de *Ortu hæc.*, c. ix.

Scipio Africanus cum in Africa bellum gereret, ostendi viros armatos, quos secum habebat, et turrim præterea excelsum in mari, et dixit: Nullus horum omnium est, qui non conscensa turri semet in mare præcipitatus sit, si ego jussero. *BEIRLINK.*, in *Theatr. V. Obed.*, n. 10.

Fulgosus de quodam Assyriorum Principe refert, quod dum in præsentia exteri ejusdem legati de militum suorum gloria retur obedientia, ipseque ex multis, qui in turris cacumine vigiliis agebant, unum ex illis nomine ad se accersivisset, is confestim ex eadem se turri deorsum egerit præcipitem. *FULGOS.*, l. II, c. iv, *Rerum memorab.*

EXEMPLA BESTIARUM.

Gallus Columbani Abbatis discipulus, et Hildeboldus diaconus pisciculos, quos de flumine retiaculo traxerant, in solitudine assaturi ignem concinnabant, cum interim ursus miræ magnitudinis proprius accedens diaconum quidem terruit, sed Gallo jubente ut lingua igni inferret, obediit. Hoc ideo sane hic referendum duximus, ut qui præpositus suis renitit audent, tali exemplo magis confundantur, quando et sylvestres ferae

jussa Sanctorum reverentur, et observent. Sic et D. Hieronymo ursis etiam bellua ferocior leo obsequium præstitisse dicitur; a selem monasterii ad pasua educere, pascentemque comitari assuetus, agaronis fugebatur officio. Sed asello amisso jussus ipse ligna dorso deferre, oderari se multa cum mansuetudine patiebatur, donec postea inventum ante se ad monasterium agens reduxit. Ecce bruta animalium seniorum jussis obsequuntur, et homo rationis capax andet refragari. *M. MER.*, c. iv, c. iii.

Legitur in vita S. Arnulphi de Bruxella monachi Cisterciensis, quod quodam tempore, cum in Grangia (cui certum nomen est) moraretur, id officium impositum fuit ei ut famulo sibi adjuncto, quotiescumque necesse esset, fruges saccis impositas, ad monasterium carrueret. Iterumque in iisdem saccis panes, qui fratribus Grangiae certis per hebdomadam diebus sufficere possent, reportaret. Contigit autem die quadam eum curru frugibus onerato ad monasterium devenisse. Cumque ante molendinum saccis ac frugibus evacuatis curru suum exonerasset, cum eodem curru ad proximum Grangiam (quæ nova curia dicitur) profectus est. Ubi cum negotium, pro quo illuc ierat, expleisset, etiam duos porcos, quos a Prælato suo licentiatu dare pauperibus proposuerat, in duobus saccis includens ora sacrorum ligavit, eisque in curru locatis ad monasterium remeavit. Cumque jam portæ monasterii appropinquaret, eidemque porci tantquam animalia inquieta importune grunnirent, timens vir Dei, ne forte quisquam hujusmodi occasione in suspicionem laberetur, brutis animalibus tamquam ratione utentibus locutus est dicens: « Audite, porci, audite verba mea, si displicet in oculis Dei, ne sicut proposui in usus pauperum vos expendam, licentiam habete grunnendi, sicut et factis. Si vero gratum est, et acceptabile Deo meo, ut per me de carnis vestris avide pauperum reficiatur esuries, præcipio vobis in nomine Domini, ut penitus ab hoc importuno grunnitu cessetis. » Res mira! Continuo porci illi, qui diu multumque intra saccos clamitaverant, præcipientis adjurationi, atque imperio, grunnire cessaverunt. Tunc vir Dei silentibus porcis monasterium ingressus, ad pistinum usque perrexit, ubi saccos suos panibus implevit. Quod dum factum fuisset, et idem sacci super porcos jactarentur, qui in duobus saccis

inclusi habebantur, miro modo, ac si mortui essent, incitari ad grunnitum minime poterunt : quoniam Dominus noster omnipotens, qui precibus famuli sui eos quodammodo obmutescere fecit, non nisi permissione ejusdem naturalem ejus grunnitum reddidit. Igitur panibus onerato curru, in viam suam profectus est. Cumque jam longe remotus esset a muro monasterii, porcis suis licentiam grunniendi (sicut antea consueverant) verbo reddidit, qui statim inquietudine solita clamorem emittentes, donec ad Grangiam ventum est, grunnire, et clamoribus insanire non cessaverunt. Eosdem autem porcos, sicut proposuerat, pauperibus dedit. *Specul., ec., dist. 8 exempl., 153.*

Erat in Diocesi Monasteriensi, sed et nunc est insigne quoddam monasterium Ordinis Cruciferorum, cujus nomen ob certas causas subitico, habens in circumjacentibus sibi locis sylvas amplissimas, ad quas non stans modo, verum etiam aliorum porcellos sumpto condigno pretio idcirco minare soliti sunt, ut autumnali tempore rapidis flatibus dejectas glandes infra transeuntes porci colligerent, et sic dulci pabulo incrasati esibus hominum fierent aptiores. Cum igitur quodam tempore dives quercubus sylvæ, delapsis glandibus ultra solum copiose respersa jaceret, et monasterium prædictum non facilem nummum de alienis saginandis porcellis in pretium caperet (quia solet invidis supplicium esse aliena felicitas) villani circum commorantes, qui et ipsi in proximis sylvis simili spe porcos alebant, monachis de suo lucro diffidentes, communicato invicem consilio statuerunt diligentius se observare velle, ne forte porci monachorum, exorbatis metis, in suas sylvas improvidos pedes defigerent, quatenus vel sic in monachorum damna sumpta occasione savirent. Percepit ista secretus Prior, et rusticam plebem fraterna invidia laborantem ingemuit. Ne tamen infausti desiderii sui male speratos consequerentur effectus, advocatum ad se laicum fratrem in sylvam ire præcepit, atque sollicite agere, ne porcelli illic demorati, aut proprias transcendentes metas aut alienam glandem in sua damna manducarent. Abiit frater læta fronte et libentissimo animo, quia obediens erat, jussa facturus in sylvam processit. Sed cum multi transissent dies, et post tempus fugaces vires perageret, prædictus frater, quippe qui devotus esset, graviter ferre coepit, se divinis

exemplum mysteriis, nec Missarum celebrationibus, nec excessuum capitulis cum reliquis fratribus posse interesse. Unde pio quodam zelo accensus omnes porcellos in unum congestos, his similibusque verbis affatur : « Ecce, inquit, fratres porci, quoniam his diebus sollicitus custos inferni, satis abunde docui, instruxi, informavi, ubi, et ubi non liceat vobis pascentia ora porrigere, vel Conventui lites, vel vicinis damna lascivis discursibus excitetis, præsertim quia nec spatia licita concessage vobis arcta sunt, nec glandium copie, quibus pasceudi estis, parciore hic manu jacent disperse. Ego jam ad Conventum pergo, ubi torquentem jam, et languentem animum paululum refocillabo, atque sic vos revisurus revertor. His igitur verbis porcellos divini custodia commendavit, et abiit. « Verum cum iniqui vicini rescivissent, porcos custodem non habere, et liberis, quo vellent discursibus agi (quippe cum nullus adesset, qui prohiberet) ceu jam nunc ad sua vota prava virent, gavisii sunt, clam in insidiis positi sunt curiosissimo oculo intuiti sunt, utrumne præscriptas sibi metas improvidum pecus transvaderet. Sed cum diu desiderassent, et spei suæ frustrarentur effectum, porcis impositas leges devoti custodis stricte servantibus vi eos ad prævaricationem impellere statuerunt. Unde arreptis fustibus, flagris, tridentibus versus prohibitas sylvas invitas bestias minaverunt. Sed, o res nimium admiranda! cum porcelli vi, ut dictum est, acti usque ad punctum præfixi termini devenissent, putavissent actores, jam jamque se infausti voti finem visuros, memores facti præcepti, quod frater impositus, rejecit cum impetu vultibus, terrentis se armis contemptis, pede quoque in transversum girato, trans divaricata impellentium erura rapidis cursibus agebantur. Stabant attoniti hoc videntes hostes fraternæ felicitatis, et ad rem nimis insolitam invidi obstupere bubblei. Demum tamen non minus suam invidiam, quam bruti animalis obedientiam admirantes, projectis armis, depositaque invidia, concito ad Priorem monasterii gressu abierunt, cui recenter orta prodigia enarrantes, reparata charitate veniam de invidia petierunt. De quo sit Deus benedictus in sæcula. Amen. *Is., dist. x, ex. 12.*

Accidit quoddam mirabile, et celebri memoria dignum, apud civitatem Eugubii.

Nam cum adhuc viveret Sanctus Pater Franciscus, erat in territorio ejusdem quidam lupus terribilis magnitudine corporis, et ferocissimus rabie famis, qui non solum animalia, sed homines, et feminas devorabat : ita quod omnes cives in tanto terrore tenebat, quod omnes ibant muniti, cum egrediebantur terram, ac si deberent ad bella funesta procedere : nec tamen sic armati valebant dicti lupi mordaces dentes ac truculentam rabiem evadere, quin eidem per infortunium obviabant. Unde tantus terror omnes invasit, quod vix aliquis extra portam civitatis audebat exire. Volens autem Deus notificare sanctitatem beati Francisci civibus supra dictis, cum ipse beatus Pater tunc temporis esset ibidem compatiens illis, disposuit exire obviam dicto lupo, cui cives dicebant : Cave, Pater Francisce, ne portam exeat; quia lupus, qui jam multos devoravit, penitus te occidet. Sanctus autem Franciscus sperans in Domino Jesu Christo, qui universæ carnis spiritibus dominatur, non clypeo protectus, vel galea, sed signo S. Crucis se muniens, exivit portam cum socio, totam fiduciam suam jactans in Domino. Et sic fidelissimus Pater Franciscus intrepidus exivit ad lupo : et ecce multis cernentibus de locis, in quibus ad spectandum ascenderant, lupus ille terribilis contra Sanctum Franciscum, et socium aperto ore currit, contra quem S. Pater opposuit signum crucis, et tam a se quam a socio, virtute divina, lupum comescuit, et cursum retinuit, et os truculenter apertum conclusit et demum advocans eum, ait : « Veni ad me, frater lupe, et ex parte Christi tibi præcipio quod nec mihi, nec alteri noceas. » Mirabile dictu! statim, facta cruce, conclusit os illud terribile : et facto mandato, statim se ad pedes Sancti, jam factus quasi agnus ex lupo capite inclinato prostravit. Sic autem prostrato ante se dixit Sanctus Franciscus : « Frater lupe, tu facis multa damna in partibus istis, et horrenda maleficia perpetrasti, creaturas Dei sine misericordia destruendo ; non solum autem irrationalia animalia destruis, sed, quod detestationis audaciæ est, occidis et devoras homines ad imaginem Dei factos, unde tu es dignus horrenda morte mutilari, tamquam prædator, et pessimus homicida : propter quod omnes contra te juste clamant et murmurant, et tota ista civitas est inimica. Sed, frater lupe, ego volo inter te, et istos facere pacem, ita quod a te ipsi non lædan-

tur amplius ; et ipsi tibi omnem offensam præteritam dimittent, nec homines, nec canes te amplius persequentur. » Et lupus gestibus corporis, et caudæ, et aurium ac capitis inclinatione monstrabat illa, quæ Sanctus dicebat, omnimode acceptare ; et ait iterum Sanctus Franciscus : « Frater lupe, ex quo tibi placet facere pacem istam, ego promitto tibi, quod faciam tibi dari expensas quotidianæ, donec vixeris, per homines istius civitatis, ita quod numquam famem amplius patieris : quia ego scio, quod, quidquid male facis propter rabiem famis facis. Sed, frater mi lupe, ex quo acquiram tibi talem gratiam volo, quod tu promittas mihi, quod numquam aliquod animal, vel hominem lædas : promittis mihi ista ? » Et lupus signum evidens inclinatio capite fecit, quod permittebat facere illa, quæ sibi imponebantur a Sancto. Et S. Franciscus ait : « Frater lupe, ego volo, quod tu des mihi fidem, ut possim evidenter credere, quod promittis. » Et cum extendisset S. Franciscus manum pro recipienda fide, lupus etiam levavit pedem anteriorem dexteræ : et blande, et leniter posuit super manum S. Francisci, signo, quod poterat, fidem dando. Tunc Sanctus Franciscus ait : « Frater lupe, præcipio tibi in nomine Domini nostri Jesu Christi, quod venias amodo mecum nil habitans in civitate, ad faciendam pacem istam. » Et lupus obediens statim cepit iter cum S. Francisco, tamquam mansuetissimus agnus : quod videntes illi de civitate, coeperunt vehementer mirari, et novitas hæc statim per civitatem totam insonuit : ita quod omnes tam viri, quam mulieres, magni, et parvi, ad plateam simul convenerunt, quia Sanctus Franciscus ibi erat cum lupo. Congregata igitur populi maxima multitudo, surgens Sanctus Franciscus, fecit illis mirabilem prædicationem dicens, inter alia, quomodo propter peccata tales pestilentie permittuntur, et quanto sit periculosior vorax flamma gehennæ, quæ habet in æternum devorare damnatos, quam rabies lupi, quæ non potest occidere, nisi corpus, et quam sit pavendum in barathrum infernale demergi, quando tantam multitudinem unum parvum animal in tanto pavore, et periculo definebat. Revertamini ergo, charissimi, ad Dominum, et facite penitentiam dignam ; a lupo liberavit vos Deus in presenti, et in futuro ab ignis barathro devorantis, et his dictis, ait : « Audite, charissimi, frater lupus

qui hic coram vobis astat, promisit mihi, et de promissione fidem exhibuit, facere pacem vobiscum, et nunquam vos lædere in aliquo, si tamen vos promittitis sibi quotidie expensas dare, et ego pro fratre lupo fide jubebo, quod pactum pacis firmiter observabit: » tunc omnes ibi congregati cum clamore valido, promiserunt lupum nutrire continue. Et Sanctus Franciscus coram omnibus dixit lupo: « Et tu, frater lupe, promittis servare pactum istis, scilicet, quod nec animal aliquod, nec personam alicujus lædas? » Et lupo se ingenue, cum inclinatione capitis, et gestibus corporis, et cauda, et aurium blandimentis, se servatum pacta promissa omnibus evidenter ostendit. Et sanctus Franciscus ait: « Frater lupe, ego volo, quod, sicut tu de hoc dedisti fidem, cum essemus extra portam, ita et hic coram toto populo isto des mihi fidem, quod ista observabis, et in fidejussione pro te facta minime delinques. » Tunc lupo levato pede dextero dedit fidem in manu S. Francisci fidejussoris sui, coram cunctis astantibus, et facta est tanta admiratio, et gaudium omnium tam pro devotione Sancti, quam pro novitate miraculi, quam insuper pro pace lupi, et populi, ut omnes clamarent ad sidera, laudantes, et benedicentes Dominum Jesum Christum, qui eos meritis illius Sancti de ore feræ pessimæ liberavit, et de tam horrenda peste, in pace posuit, et quiete. Ex illo igitur die lupo populo, et populus lupo pacta per Sanctum Franciscum ordinata servavit, et lupo per duos annos vivens, et per civitatem ostiatim victitans neminem lædens, nec ipse læsus ab aliquo, fuit curialiter nutritus. Et mirum est valde, quod nunquam latrabat canis aliquis contra eum. Tandem lupo seniens, mortuus est, de cujus morte cives plurimum doluerunt, quia dicti lupi pacifica, et benigna patientia quancumque per civitatem pergebat, miram S. Francisci virtutem, et sanctitatem mirificam in memoriam revocabat. *Id., dist. vii, ex. 25.*

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut apes quocumque vadit, mel operatur; ita et monachus (et quisvis alius obedientiæ amator) quocumque pergit, si propter Deum perrexerit, dulcedinem bonorum actuum semper potest percipere. *Vit. PP., de Pat. et hum.*

Sicut pastori suo oves obtemperant, et viam, quancumque ille vult, ingrediuntur; sic qui ex Deo pietatis cultores sunt moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino illorum jussa curiosus perscrutantes. *S. Basil., in Const. Monast., c. xxiii.*

Sicut cadaver quoquo versus, et quancumque ratione tractare se sinit; ita obediens totus in Superiorum suorum esse potestate cupit. *S. lex., Const., § 1.*

Sicut baculus, scipiove non movet se, nisi ab alio moveatur; sic neque obediens quidquam aggreditur, nisi Superioris voluntate permotus. *Id., l. c.*

Sicut discipulus Magistrum super dubio consulens ejus concilio acquiescit, quia Magister est; ita subditus Superioris acquiescit imperio, quia superior est. *Roma., p. III, tr. v, c. xv.*

Sicut non stat penes chordam soni bonitas, vel suavitas, quin potius penes peritiam fidicinis, qui illam debito modo contemperare novit; ita quoque virtus penitentiae non consistit in hac vel illa disciplina, in tam hispido cilicio vel in jejuniu adeo rigido, sed potius in obedientia, per quam illi hæc omnia a patre spirituali prescribuntur. Unde Sanctus Philippus Nerius inter alia de hac virtute tradita documenta, hoc quoque suis post se reliquit, videlicet, obedientiam compendiosam quamdam esse viam, per quam subito ad perfectionem pervenitur, multoque majoris se aestimare illum, qui sub obedientia vitam quamdam agit ordinariam, quam alium, qui ex propria voluntate rigidissimam agit penitentiam. *Mansi, tr. LIV, dis. xv, n. 3.*

Sicut nullus est, quantumvis impius, qui eumdem vultum, et venerationem deferre recuset cruci alicui lignee, vel fictili, quam argenteæ, vel aureæ, quia non honorat materiam, sed patibulum, quod in ea representatur Christi Crucifixi. Eodem modo tametsi Superior sit homo imperfectus, vilis, et importunus, nihilominus illum venerari, eique obedire debet, qui imaginem Dei in se portat. *Id., dis. xvii, n. 8.*

Quemadmodum faber, ædificatorve singulis artis instrumentis pro arbitrio utitur suo, neque unquam ullum inventum est instrumentum, quod ad quemcumque ille usum voluisset, non se facile tractandum præberit ac moderationis manui cesserit; ita quoque convenit rerum pietatis cultorem, perinde ut instrumentum quoddam

utile opifici, ad complendam spirituales fabricam omnibus in rebus parere, in quibus, ut operam suam navet, rectum esse Antistes judicaverit, ne si id facere recusaverit, impedimento sit, quo minus spirituale opus compleatur. Et ut instrumentum non sibi ipsi deligit, quo de facto usus sit ad artem juvandam, eodem modo pietatis cultorem quoque nequaquam convenit, ipsum esse, qui sibi judicio suo opus deligat, sub gubernatione sui artificis prudentiæ debet, consilioque concedere. Brevius ita proponitur: Sicut instrumentum a fabro quocumque modo, et ad quancumque opera applicari se sinit: ita verum obedientiæ cultorem ad complendam spiritualiter fabricam perfectionem omnibus in rebus parere convenit. *S. Basil., Cons. mon., c. iii et xxviii.*

NECESSITAS. — Sicut cibus sine sale est insipidus, potiusque nauseam, quam nutrimentum causat, ita quoque nullum opus, quantumvis sit virtuosum, et perfectum sine condimento hujus salis mystici obedientiæ Deo placet. Unde B. Petrus Damianus inquit: « Ut ergo nostra sit devotio, vel affectio fructuosa, saluiferæ sit semper obedientiæ sale condita, et quoscumque boni operis vita nostra ramos expandat, in radice semper obedientiæ necesse est coalescat. *Mansi, tr. XLV, disc. v, n. 5.*

Sicut servus in palatium Regis admissus, grandi periculo obnoxius est, si non ex ordine, et voluntate Regis ipsi ministret; ita homo quoque servitio Dei deputatus non minore reprehensionem penamque timere merito potest, si voluntatem Dei per Superiores declaratam exequi differat, aut omnino transgredi præsumat. *S. MACAR., hom. XIII.*

Sicut sine duce non conditur de victoria, et sine gubernatore non pervenitur ad portum; ita et absque obedientia impossibile est in hujus vite pelago non periclitari. *S. LAUR. JUST., in Ligno vit., c. iii, de Obed.*

UTILITAS. — Sicut cibus corporis in omnia ejus membra distribuitur, ut cuque det nutrimentum necessarium; ita obedientia alimentum est potentiarum, et sensuum boni Religiosi, omniumque virtutum, quæ in ejus anima sedem habent. *Lud. de PONTE, t. III, de Perf. tr. vi, c. xi.*

Sicut qui equos refractarios domare cupiunt, nunc incitant, nunc inhibent, nunc in gyrum, nunc retro agunt, nunc adductis repente habenis sistunt, quo sic lupatis pa-

rere, neque suos impetus sequi, consuecant; ita experti spiritus magistri faciunt, ut discipulos suos in obedientiæ virtute perficiant, et tractabiles reddant. *Rm., p. III, tr. v, c. ix.*

Sicut viator iter aggressus, scipione invento, cui innitatur, magis illud accelerat, et præoccupat viam; ita qui propriam voluntatem abscondit, et voluntati Superioris acquiescit, celerius in perfectione progreditur. *S. DOROTH., Doctr. 1.*

Sicut arbores agrestes inseri duobus solent ramusculis alicujus arboris nobilis, et ex hoc arbor, quæ erat prius agrestis, producit flores, fructus, et folia secundum naturam arboris nobilis, de qua ramusculi sunt assumpti; sic obedientia alienam voluntatem, et sensum consumit, atque cordi ejus, qui obedientiam promittit, inserit, et jam cor illud, si in obedientia perseverat, secundum voluntatem, et sensum sui Superioris jam operatur: unde dicitur obedire id est, contra proprium sensum, et voluntatem ire. *S. BERN., s. de Ob., c. xii.*

Sicut ex inobedientia primæ nostræ parentis sumus condemnati, ita per obedientiam Mariæ Virginis sumus a morte peremptoria liberati; ideo hæc obedientia ab Eva rejecta, a Maria granter recepta, continue suadebat optare salutem mundi. Ideo divine voluntati subditi, et omnino sub divino imperio ejus voluntatem annihilari; unde audita Domini voluntate de conceptu Filii sui, valenter atque letanter, etiam velociter Angelo ait: « Ecce ancilla, » quasi dicat, ecce volenti corde, lætanti facie, atque veloci opera adimpleo, quidquid divine fuerit beneplacitum voluntati. *Id., t. II, s. XLVI, c. ix.*

Sicut navis, quæ bonum habet navarchum seu gubernatorem, Deo adjuvante, sine periculo in portum defertur; ita anima, quæ bonum habet pastorem, facile celum conscendit, quamvis antea mala multa patrarit. *S. CLM., grad. xxvi.*

Sicut qui in navi est, semper procedit, et tamen ipsum quiescit; sic qui est in navi obedientiæ, semper proficit in mundo, dormiendo, vigilando, comedendo, abstinendo, ambulando, quiescendo, quia instar nautæ non movetur motu proprio, sed alieno. *S. BON., t. VI, Diet. salut., tit. III, c. ii.*

Sicut terra a semetipsa magna cum facilitate, teste experientia, herbas, flores, arbores, plantas, aliaque germina producit;

quando vero aratro, et ligonibus colitur, idipsum quidem facit, sed cum labore : requiruntur enim agricolæ sudores ad illam irrigandam, magna quoque industria opus est ad eam stercoreandam, et fodiendam. Eodem quoque modo videmus, quod aliquis ex proprio cerebro facit sit in abstinentiis, disciplinis, orationibus, et jejuniis faciendis; at vero si hæc omnia facienda sint ex præcepto, et per obedientiam alteri debitam, magnam in iis omnibus sentiat repugnantiam; ideoque consiliis opus est, exhortationibus, adductis motivis, et præceptis. Veruntamen magna quædam observanda est differentia, inter terram a semetipsa fructum profertentem, et inter eandem terram profertentem fructum post cultivationem, et labores eidem adhibitos; terra enim ex seipsa non producit, nisi lentas, utricas, lilia, aut arbores silvestres; at vero terra, bene culta herbas edit, flores, et fructus domesticos, ac salustiferos, arboresque ab ea producta dulcissimos conferunt fructus. Eodem igitur modo hi, qui ex proprio cerebro se gubernare volunt, nequaquam virtuose operari possunt, quia deest illis meritum obedientiæ, quia propria voluntas abnegatur; et ideo tales, ut plurimum deprehenduntur esse superbi, indiscreti, et presumptuosi, plusque in illis reperitur emendatione, quam commendatione dignum, aut vero in bene ceptis minime perseverabunt. Hoc autem nequaquam accidit illis, qui dependenter ab alterius directione operantur; horum enim actiones talis sunt meriti, ut quævis earum etiam minima, hoc obedientiæ caractere consignata, Deo sit acceptissima, ab eoque liberaliter compensetur. Unde S. Bernardus ait : Qui se sibi Magistrum constituit, stulto se discipulum subdit. *Mansi, tr. LIV, disc. XXIV, n. 2.*

Sicut si quis Alchymista esset tam excellens, ut plumbum, et lapides in perfectissimum transmutaret aurum, nemo non magni eum faceret; sic manducatio, dormito, ambulatio, actiones sunt in seipsis omni carentes merito, obedientia autem illas exaltat, et ad æternam vitam sublevat meritum, Deo gratas acceptasque constituit, nec non æternæ efficii meritorias remunerationis, ideoque magni facienda est. *Id., n. 6.*

DIGNITAS. — Sicut impressum Principis insignem valorem confert moneta, de se quantumvis vili; ita et voluntatis diviniæ

executio maximum recipit valorem, quantumvis in exilis momenti materia exerceatur. *Jac. Alv., t. II, l. V, p. III, c. IV.*

Sicut plus suum amorem erga amicum testatum facit, qui etiam servum ejus magna cum reverentia excipit, eique servit, quam si ipso solum domino ea præstaret; ita sublimior quoque gradus est obedientiæ, quæ hominibus, quam quæ ipso Deo exhibetur, si quidem cætera sint paria. *S. Bon., de Grad. virt.*

Sicut illum equum præ cæteris æstimamus, et laudamus, qui sine ulla vi habentem pro nutu compeccitur; ita is tandem perfectionem obedientiæ, laudemque consecutus censetur, qui etiam sine imperio obedire, et vel præsumptam Superiorum voluntatem exequi didicit. *S. Chrys., h. IV, de Pan.*

JUCUNDITAS. — Sicut qui navi probe instructæ, et bonum nautam habenti inspicitur, cum magna securitate, et tranquillitate ad portum destinatum pergit; ita obediens aliorum se committens directioni, cum magna animi libertate, et jucunditate iter hujus vitæ atque perfectionis absolvit. *Rodr., p. III, tr. v, c. VI.*

Sicut is, qui iter molestum aut difficile sarcinis gravatus facere cogitur, felicem se putat, si sarcinas suas alterius tergo portandas committere queat; ita cum obediens gravissimam rationis reddendæ coram Deo sarcinam in humeros Superiorum conjicere queat, merito se beatum æstimare debet. *ANONYM.*

Sicut qui in rheda aut lectica iter faciunt, omnibus notum est, quantis molestiis itineris liberentur. Neque solis ardoribus æstuant, nec hyemis rigore rigent, nec nive, aut grandine feriuntur, nec pluvia maderunt; ita veri obediens, in lectica sanctæ obedientiæ vecti, a mille tentationibus, et a multis animæ periculis liberantur. Sol indiscreti fervoris eos non urit, quem nubes obedientiæ temperat; nix ignavia, et trepiditatis non impedit, quam indumentum obedientiæ aret. *Jac. Alv., t. II, l. V, p. III, c. XVIII.*

ÆQUITAS. — Sicut aqua e lagena superiore obstructa deorsum non fluit; interdum vero etiam contra naturam sursum ascendit, ad continuationem, et honum universi; ita obediens propter gloriam Dei, et bonum communitatis, cui aggregatus est, etiam actiones naturali suæ inclinationi contra-

rias suscipere non reformidat. *Rodr., p. III, tr. v, c. IX.*

Sicut membra corporis quidem omnia ab anima informantur, capiti tamen parent, quia in eo solo quinque sensus vigent; ita cum in Superioribus potissimum auctoritas Dei potestas ac prudentia reperiantur, merito his debita a subditis obedientia præstatur. *S. Aug., ap. Rodr., l. c.*

Sicut præposterum, et simile monstrum foret, si caput hominis reperet, et pedes sursum tollerentur, et capiti imperare vellet; ita non minus absurdum est, si inferior nollet parere, sed potius ipse sibi gubernationis officium assumeret. *Jac. Alv., l. II, l. V, p. III, c. v.*

Sicut pro salute corporis ad medicum spectat vim morbi cognoscere, et medicinam præscribere; agrum vero obedire debet; ita ad Superiorem, velut medicum spirituales, curatio subditi pertinet; hic vero tanto promptius exactiusque obsequi debet, quanto amplius salus animæ sanitæ corporalem dignitatem, præstantiæque sua antecedit. *S. Basil., c. XX, Const. Monast.*

MOTIVA.

Breviter, et in compendio hæc explicavit, qui dixit, Obedientiam « similem esse arbori seu ligno vite, » quod S. Joannes olim in cœlesti Jerusalem vidit, de quo audivit, quod afferat fructus duodecim, cum hoc solo discrimine, quod hoc lignum per menses duntaxat singulos fructum suum dederit, obedientia vero toties fere, quoties exerceatur, duodecim suos fructus afferat, qui proin merito pro totidem motivis servare possunt ad studium hujus virtutis, et amorem persuadendum. *Aroc., xxii, 2.*

Primus itaque fructus est, quod obedientia « hominem Deo carissimum efficiat » cum, teste S. Thoma, nihil Deo sit gratius, quam si propriam voluntatem quis propter ipsum relinquat; et merito, si enim Abraham tantopere placuit Deo, qui voluit tantum sacrificare filium suum, et per hoc Deo obedire; quanto magis eidem placebit, qui actu non alium, sed seipsum per veram obedientiam immolaverit. *S. Th., II, 2, q. 186, a. v.*

Secundus fructus est, quod « Christo similitudo » atque adeo etiam « gratissimus »

faciat; ut qui in tota vita nullam perinde virtutem, atque obedientiam, verbo et exemplo commendasse scitur, ut merito tandem dixerit, cibum suum esse facere voluntatem Patris sui, qui in cœlis est. *JOAN., IV, 34.*

Tertius fructus est, quod etiam B. Virgini, aliisque Sanctis nullum obsequium perinde gratum sit, atque obedientia; per hanc enim vere cultus « purissimus » (quia ubi voluntas Dei impletur, peccatum intervenire non potest) « amplissimus » (utpote ad omnia totius diei, imò vitæ opera se extendens, et « perpetuus » utpote diu nocteque durans, et per hoc Sanctorum in cœlis degentium, Deumque sine fine laudantium similis præstatur; ut merito quidam dixerit :

Sanctorum est cultus gratissimus, optima vita.

Quæ autem melior vita esse potest, quam quæ perfectissima regule, ipsi nempe voluntati Divinæ conformis est?

Quartus est, quod « Superioribus, et sociis cohabitantibus valde amabilem, et acceptum faciat, » utpote per quam, et gravissimum onus quod sentiunt Superiores, si inobedientes, et immorigeros nacti sunt subditos : quodque experiuntur boni Religiosi, se reliqui omnia onera in ipsos exonerare, seque velut membra dissociare velint, non modice imminuat, ut clare S. Paulus indicavit, dum Hæbreos ab obedientiam Superioribus exhibendam, ideo exhortatus est, ut cum gaudio, et non gementes onus Superioris portent. *HEB., XIII, 17.* Idque confirmavit etiam S. Franciscus Borgia, dum inter ea, quæ ad conversationem Societatis necessaria duxit, tertio loco « Obedientiam » posuit, eo quod hæc membra Societatis, quæ « Oratio » cum Deo conjungit et « Persecutio » a mundo abstrahit, inter se per charitatem copulet; vere enim quæ eadem sunt per obedientiam uni tertio nempe Superiori, etiam inter se eadem esse necesse est, ut adeo merito exclamare cum Davide liceat : O quam bonum, et quam jucundum est, habitare fratres in unum, id est, omnes ab uno capite dirigi. *Ps. CXXXI, 2.*

Quintus fructus est, quod sit « aptissimum instrumentum ad victoriam de vitiis, et cupiditatibus obtinendam : » cum radicem ejusmodi vitiorum, et motum tollat, propriam scilicet voluntatem, id quod sapienter advertit Abbas Achilles, dum quæ-

situs, quomodo dæmones superandi sint, dixit, id unice per voluntatis propriae abdicationem, sine qua nullum omnino vitium superari posse, etiam reliqui antiquiores Patres persuasissimum habebant; unde recte S. Augustinus dicebat: « Expedi inferius subici Superiori, ut ille qui sibi subici vult, quod est inferius, se subiciat Superiori suo. Agnosce ordinem, quare pacem. Tu Deo, tibi caro, quid justus? quid pulchrius? Tu majori, tibi minor. Servi tu ei, qui te fecit, ut tibi serviat, quod propter te factum est. Si autem tu contemnis servare, et obedire Deo, nunquam efficies, ut tibi caro obtemperet. Quid non obtemperas Domino, torqueris a servo. » Sic S. Augustinus. S. AUG., in *Ps. cm.* Ut adeo vere dixerit Salomon obedientem loqui (atque adeo et prius obtinere victorias). *Prov., xxi. 28.*

Sextus fructus est, quod « efficacissimum sit medium ad virtutes acquirendas: » cum, teste S. Augustino, obedientia sit mater aliarum virtutum, et juxta S. Gregorium, tam illa virtus, quæ reliquis virtutes menti inserit, insertasque custodit; id quod inductione singularum virtutum facile constat. L. I, *Contr. advers. leg., c. xiv. S. GREG., l. XXXV, Mor.*

Septimus fructus est, quod « ad media supernaturalia agenda sit optimum medium; » nam obedientia, teste Rusbrochio, tam eximia virtus est, ut vel minimum opus ejus imperio factum, multo melius, Deoque acceptius sit, alio quolibet magno opere sine ipsa perpetrato. *Rusbrok, l. de Virt., c. xiii.* Hinc S. Dorotheus, ut supra vidimus, quinque annorum spatium gloriam S. Antonii meritis parem est nactus, sed et ipse Deus quondam voce de cælo lapsa testatus est, Monialem, quæ, omissa propter obedientiam communiōne in culina ministraverat, plus meriti acquisivisse, quam quæ communiasset.

Octavus fructus est, quod sit « utilissimum instrumentum ad proximi salutem procurandam, » cum enim perfectissime hominem cum Christo, propter quem obedientia præstat, conjungat, necesse est, ut verificetur, quod idem Christus apud S. Joannem dixit: Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum. *JOAN., xv. 5.* De tali quippe cum veritate dicere iterum potest Deus, quod olim de S. Davide dixit: Inveni virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas; hinc oleo sancto unxi

eum, et manus mea auxiliabitur ei, et brachium meum confortabit eum, ut omnia quæcumque facturus est, properentur. *PSAL. LXXXVIII, 21. Ps. i, 30.*

Nonus est, quod « unum sit ex certioribus signis prædestinationis: » Quia hæc sola via, sicut a voluntate propria est remotissima, ita nullis ambagibus, aut erroribus est obnoxia. Hinc Christus intrepide dixit: « Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. » *MATT., xix.* Hinc et S. Joannes Climacus dixit: « Si quis conscientiam suam mundissimam in Patris spiritualis subiectione servavit, hic jam mortem ut somnum, imo vero ut vitam quotidie intrepidus expectat; certissime sciens, obitus tempore, sui ipsius non a se, sed a Patre rationem esse requirendam. » *S. CLIM., Grad. iv.* Id quod ipse æternus Pater quandam S. Catharinæ revelavit dicens: « Verus obediens non obligatur mihi reddere rationem de se, sed solummodo Prælati, cui subditus extitit. » *Dial., c. CLXIII.* Et iterum: « Religio est velut navicula secunda pro recipiendis animabus, quæ currere volunt ad perfectionem, ut eas tutissime perducant ad portum æternæ salutis. » Obedientia est clavis, qua Christus cælum aperuit, quam in manu vicarii sui reliquit. Hinc S. Bernardus dicere ausus est: Dignus ero, qui Deum videam, si prius, quam videam, obedisse inveniat: Securus video, ad quem meæ obedientiæ munus præcesserit. *S. BERN., s. cxxviii, in Cant.* Sed, et frater ejus Gerardus mortis vicinus, cum in Spiritu raptus esset, post triduum ad se reversus dixit: Bona est obedientia: ad tribunal Christi sui, animas Sanctorum vidi, ipsamque mihi dicentem audivi: Ecce locus tuus, inter fratres tuos: nullus tui Ordinis perhibet, si Ordinem amaverit: aut in in morte purgabitur, aut in brevi post mortem. Nec minus memorabile est, quod alteri cupiam Religioso ex Ordine S. Hieronymi evenisse scribitur, quod videlicet post visitationem a Sanctis, quos singulariter colebat, factam, dixerit: Doleo, me tam parum in Religione laborasse; sed propter passionem, et crucem Christi, et Religionis obedientiam, quam observavi, vado ad regnum cælorum: et hoc mihi Dominus manifestavit, ad consolationem, et ædificationem Religiosorum, utpote tepidi ac negligentes vitam mutant. Quibus dictis paulo post ingenti gaudio repletus est; sed et facies ejus velut Angeli res

plenduit, sicut inter piæ aspirationes animam Deo reddidit. *PETR. DE VERGA, in Hist. sui Ordinis.*

Decimus fractus est, quod sit « fons, et radix spiritalis, et solidæ lætitiæ: » quem quidem S. David indicavit, dum dixit: Dilixisti justitiam, et odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus oleo lætitiæ præ consortibus tuis; ubi recte lætitiæ hanc oleo comparat, ut significet, sicut oleum omnibus reliquis humoribus supernat, ita lætitiæ quoque ac pacem, quæ ex obedientia sequitur, omnem sensum ac gaudium corporale longissime excellere; et merito, cum talis homo per obedientiam semper habeat, quod desiderat, sicut gustare incipiat manna absconditum, quod Deus in Apocalypsi vincentibus (qualis utique est obediens, loquens victorias de seipso reportatas) promisit. *APOC., ii, 17.*

Undecimus fructus est, quod sit « scutum impenetrabile adversus omnia mala corporis, et animæ: » illud videlicet, de quo S. David dixit: Scuto bonæ voluntatis tuæ coronasti nos, Domine. *Ps. v, 13.* Cum vere obediens neque in prosperis elevetur (utpote qui nihil aliud, quam Dei voluntatem desiderat, et querit) neque in adversis dejiciatur, cum memor sit doctrinæ a S. Petro data: et quis est, qui noceat vobis, si boni (id est, solius beneplaciti divini) emulatores fueritis? atque adeo rectus de hoc scuto, qua olim miles Myrtilus dicere queat:

Effugi geminum clypeo discrimen in uno,
Dum præmeretque salo, dum præmeretque solo.

Qui scilicet in terra pugnando, victor evaserat: in mari vero cum naufragium fecisset, inverso clypeo velut navicula usus enatavit.

Duodecimus fructus est, quod sit « vera causa honoris, et dignitatis maximæ, » quæ in terris haberi potest; uti clare patet in Christo, qui, quia fuit obediens usque ad mortem, propterea accepit nomen super omne nomen, ita ut in nomine ejus omne genu flectatur cælestium, terrestrium, et infernorum; id quod si in ullo, certe inobediente, vel maxime etiam adimpletum conratur, utpote qui et cælestibus specialiter charus per obedientiam efficitur, ut in primis tribus motivis vidimus: et a terrestribus, id est, hominibus præcipue honoratur; utpote qui pulcherrimum, et summum imperium sui ipsius nactus est: et ab inferna-

libus maxime timetur, et æstimatur, utpote quem victorem ipsorum fortissimum, et potentissimum non semel sunt experti.

MEDIA.

« Christi exemplum ob oculos habere: » quod effleax medium suavit S. Bernardus dicens: Obedientiam ostendit in mundum veniens, in mundo manens, et de mundo transiens. In mundo veniens, unde *JOAN. 6.* ipse ait: « Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me. » Secundo in mundo manens: « Meus cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me. » Tertio de mundo transiens, unde *JOAN. 14.* « Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio; » Et de hoc Bernardus ait: Mementote fratres, ne perderet obedientiam, perdidit vitam, et in signum, quod obediendo mandato Patris mortem sustinuit, inclinato capite emisit spiritum. *S. BERN., t. III, serm. de Obedi., n. 3.* Unde S. Bernardus alibi monet: « Disce homo obedire: disce terra subdi, disce pulvis obtemperare. De auctore tuo loquens Evangelista: et erat, inquit subditus illis, haud dubium, quia Mariæ, et Joseph. Erubescere superbe cinis: Deus se humiliat, et tu te exaltas? Deus se hominibus subdit, et tu dominari gestiens hominibus tuo te præponis auctori? » *S. BERN., s. sup. Misus est.*

« Angelorum exemplum considerare. » Sic S. August. suavit dicens: Estote non pro sua, sed pro vestra utilitate, et salute in omnibus sibi obedientes. Ecce enim fratres, Angelus in omnibus obedit Deo, et tu, qui cinis es, et vermis, contradicis Deo? Insensibilia obediunt Deo, et tu rationalis resistis Deo? *S. AUG., s. 7, ad Frat.* Quod ipsum etiam confirmans S. Bernard. sic loquitur: Sed ipsos Spiritus tam sublimes audi omnes administratores esse, et in ministerium mitti dignantissimum, ut ne indignum dicam, minime tamen puto reperies in scripturis aliquando, quemquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministerium mittebantur, saltem tenuiter fuisse commotum. Exempla sunt obedientiæ, si diligenter attendas, eo sane acceptabiliora, quo in materia digniori.

« Militum exemplum ob oculos habere: »

uti S. Laurentius Justinianus monet dicens : « Qui militat terrenam militiam, non sunt sine duce, et solus Christi miles erit sine directione? Ubi validior, et sagacior est hostis, ibi diligentior custodia adhibenda est. Et alibi pariter, inquit : « Sicut sine duce non confiditur de victoria, et sine gubernatore non pervenitur ad portum, ita et absque obedientia impossibile est, in hujus vite pelago non periclitari. Quavis enim minima inobedientia in bello subvertere potest, quamvis ingentem victoriam, hostique fores aperit ad faciendam stragem. Unde Centurio exactam militum suorum deprædicit obedientiam, dum ait : « Dico huic : vade, et vadit, et alii : veni, et venit, et servo meo : fac hoc, et facit. » S. LAURENTIUS JUST., de *Discipl. Monastic.* c. vii.

« Irrationabilium creaturarum exemplum intueri ; » uti paterne consulit S. Bruno, quid dicent, inquiring, suas voluntates facientes, cum viderint non solum rationales creaturas, sicut Angeli, et homines, verum etiam quæ sensu et ratione carent, jubentis Domini obedire voluntati? Inde est enim, quod cæli enarrant gloriam Dei; inde est, quod venti, et mare obediunt ei; inde est, quod terra nostra dedit fructum suum; inde est, quod omne lignum dat fructum in tempore suo. Idemque post allata diversarum creaturarum insensatarum Creatori suo obedientium exempla, in hæc verba exclamat : Sed o miseria semper lugenda, et magis lacrymis, quam verbis exponenda! Omnis creatura est obediens Deo præter illam quæ facta est ad imaginem Dei. S. BRUNO, de *Ornato Eccles.*, c. x. Et id ipsum confirmans S. Laurentius Justinianus : « Non mediocris, inquit, est pudor generi humano, imperio Dei insensibilia, irrationabiliaque parere, et homines non obedire, quibus sensus ab ipso tributus est auctore. Servaverunt cuncta animalia legem et ordinem sibi impositum, et ideo persisterunt in natura, qua creata sunt; inobediens autem homo idcirco corruit, quia non obtemperavit, et qui per gratiam futurus erat Angelorum collega, ex neglecto imperio effectus est ministrator jumentorum. S. LAUR. JUST., c. ii, de *Lign. vite*. De hac creaturam irrationabilium obedientia plura in Sacris prostant testimonia. Sol, et luna obediunt Josue : cælum, terra, et mare Moysi, cum illud tenebras offunderet, hæc Dathan, et Abiron, istud Pharaonem hauriret. Aer, et

grando Samueli paruerunt : pluvia et ignis Eliæ : venti et procellæ, diaboli et morbi, ac ipsa mors Christo. Serpentes, et colubri Apostolis; B. Antonio, et pluribus aliis fere : S. Francisco Assisiati aves : P. Josepho Anchieta pisces, et aliæ animantes : S. Sergius Abbas Leone, S. Gallus Urso, S. Norbertus Lupo, ad obsequium est usus : B. Theodora Crocodilo velut navigio est usa.

« Non intueri in persona Superioris hominem » obnoxium erroribus atque miseris, sed Christum ipsum, qui est Sapientia summa, bonitas immensa, charitas infinita, qui nec decipi potest, nec nos vult ipse decipere. Quibus verbis S. Ignatius hoc medium suavit, adducens pro illius confirmatione etiam S. Bernardum dicentem : « Sive Deus, sive homo vicarius Dei mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum, modo tamen Deo contraria non præcipiat homo. » In *epist. de Obed.*

« Firmissime credere, eum Superiorem, quem quis habet, a Deo ipsi prædestinatum esse, et quiddam ipse præceperit, Dei præceptum esse : » sic enim perinde ut ad credenda, quæ fides Catholica proponit, toto animo, assensuque nostro statim incumbimus, sic ad ea facienda, quæcumque Superior dixerit, cæco quodam impetu voluntatis parendi cupidæ, sine ulla disquisitione feremur; quemadmodum S. Abraham filium immolaturus fecisse credendus est. Ita iterum ejusdem fere verbis hoc remedium S. Ignatius commendavit. In *dictis PP.*, c. viii. Quod etiam pius quidam Pater apud Blossium his valde bene notandis verbis suavit : « Certo tibi persuade, ipsum Dominum Deum tuum sua æterna sapientia ac bonitate illos Prælatos, quos habes in eo, quem aggressus es, statu tibi prædestinasse, et providisse, ac per eos potius, quam per alios suam gratiam tibi præstare velle. » In *Ep. cit.*

« Bene animatum affectumque esse ad id, quod Superior mandat, vel sentit; » sic enim flet, inquit iterum S. Ignatius, non solum ut sine molestia sed etiam cum voluptate lætitiæque pareatur; nam, ut est apud S. Leonem, non dura ibi necessitate servitur, ubi diligitur, quod jubetur. S. LEO., s. 4, de *Jejun.*, *Sep. Mens.* Pro quo medio facilius practicando suadet P. Jacobus Alvarez, ut Superiores suos quis tanquam de

se bene meritos Patres, et qui non tam esse, quam bene esse, dare soleant, aspiciat, diligatque.

« Omnem affectum inordinatum exuere, » præcipue amoris, et timoris immoderati, quod medium Richardus de S. Victore sequentibus verbis prudenter suavit : Duo sunt, quæ solent perfectionem obedientiæ præpedire, id est, ne cogamur vel amata deserere, vel aspera tolerare. Sed si semel animus vel amore abstinentiæ, vel patientiæ perfecte incaluerit, protinus Ruben, id est, timor Dei ad omnem obedientiam absque ulla contradictione se subdit. Qui enim tam adversa perpeti, quam prosperis non delectari, apud semetipsum statuit, quæ difficultas ejus obedientiam minuere poterit? Si enim dura, et aspera quæque pro Dei amore etiam per memetipsum appeto, cur non magis hæc ex adjuncta obedientia, ad majoris meriti gloriam tolero? Rich., *ap. Alv.*, t. II, l. V, p. III, c. xvii.

« Assuefacere se, ut etiam minoribus se subdat, et obediatur : » Sic enim non difficulter Majoribus obedientiam præstabit. Quod medium S. Bernardus his verbis suggestit : « Parum est, subjectum esse Deo, nisi sis, et humana creatura propter Deum, sive Abbati tanquam præcellenti, sive Prioribus tanquam ab eo constitutis. Ego plus dico : subdere paribus, subdere et minoribus; sic enim nos decet implere omnem justitiam, et perfectionem obedientiæ. » S. BERN., s. xi, in *Can.*

ASCETICA.

Quatuor sunt potissimum, quæ Asceta de hac virtute præcipue scire, aliisque inculcare debet. Primum est substantia, et perfectio illius, quam quidem cognitionem haud difficulter consequetur, si eandem secundum quatuor dimensiones consideravit : Et 1. quidem « Altitudinem » sciatur in eo consistere, ut non tantum in primo, et secundo gradu quis hæreat, id est, potentias exteriores, et voluntatem ad id, quod imperatum est, exequendum applicet, sed etiam iudicium suum cum Superioris iudicio conformet; quo sensu illud S. Apostoli intelligi potest : Omnis, id est, tota anima secundum omnes potentias, potestatibus sublimioribus subdita sit. Rom., 13, 1. 2. « Profunditatem, » sciatur in eo sitam esse,

ut non tantum majoribus, sed etiam minoribus se subiciat, quemadmodum S. Ignatius suis sociis commendavit dicens : Valde necessarium est, ut omnes non solum Superiori Societatis vel domus, sed etiam subordinatis officialibus, qui ex illo auctoritate acceperunt, obediatur, et assuescant non intueri, quis ille sit, cui obediunt, sed potius, quis ille sit, propter quem, et cui in omnibus obediunt, cui est Christus Dominus. P. III, *Const.*, c. i, § 24. Ita sane B. Aloysius fecisse scribitur, qui licet genere natus illustrissimo, minimis tamen Coadjutoribus cum tanta humilitate ac reverentia obediatur, ut majore vix ipsi P. Generali obedire posset. 3. « Latitudinem » sciatur in eo positam, ut non tantum in illis, quæ sub peccato a Superioribus præcepta sunt; sed etiam, quæ sine tali obligatione imperantur, imo, et in iis, in quibus nullum expressum præceptum, sed solum signum voluntatis Superioris cernitur, in spiritu amoris, et non perturbatione timoris, ut S. Ignatius loquitur, obediatur. P. VI, *Const.*, c. i, § 1. 4. « Longitudinem » denique in eo consistere sciatur, ut juxta exemplum sui Servatoris supradictam obedientiam exerceat usque ad mortem, ut cum veritate olim in ultimo vite articulo dicere queat : Consummatum est : sibi que illud quoque ejusdem Christi cum magno suo solatio adicere queat : In manus tuas commendo spiritum meum.

Secundum est, ut bene cognoscat circumstantias ad perfectionem obedientiæ requisitas; quæ quidem fusi supra § 1, sunt explicata, breviter vero a Sancto Bonaventura indicata, dum ait : Obedientia debet esse prompta sine dilatione, devota sine indignatione, voluntaria sine contradictione, simplex sine discussione, et perseverans sine cessatione, ordinata sine devictione, jucunda sine turbatione, strenua sine pusillanimitate, et universalis sine exceptione. Qualiter nos audivimus nostros Superiores, taliter nostras exaudit Deus orationes.

Tertium est, ut non tantum summam de virtute hac æstimationem concipiat, sed etiam radices norit, ex quibus dignitas perfectioque illius oritur, quarum quidem quinque possunt assignari. 1. Quia per votum obedientiæ non tantum corpus proprium, quod per castitatem offertur, nec tantum res exteriores quæ per votum paupertatis Deo consecrantur; sed ipsa volum-

tas, quæ omnibus potior est, dedicatur. 2. Quia votum obedientiæ continet sub se alia vota, cum ad votum illud spectet, servare omnia, quæ sub præceptum cadunt, sub vel peccato obligant, qualia utique etiam castitas, et paupertas censentur. 3. Quia votum obedientiæ proprie se extendit ad actus Religionis, quanto autem aliquid propinquius fini est, tanto melius censetur. Atque hæc tres rationes a S. Thoma afferuntur, ex quibus ille deducit, hoc magis esse essentialia votum quam reliqua, cum illa duo sine obedientia nequiquam constituent Religiosum; obedientia vero secundum regulam sola a quibusquam Religiosis, ut Carthusiensi, et Benedictina voveatur. 4. Quia virtus obedientiæ est origo materque omnium virtutum, ut supra ex S. Augustino videmus. 5. Quia summam cum charitate conjunctionem habet, cum utraque secundum beneplacitam divinam actiones suas dirigat: utraque sit virtus generalis ad mandatorum custodiam impellens: utraque sit virtutum reliquarum forma, et parens: utraque idem cum Deo velle, et nolle habeat, licet diversa ratione, nempe charitas per modum amici, obedientia per modum subditi. Ex quibus omnibus tandem colligitur, obedientiam afferre triplicem homini perfectionem, juxta triplicem scilicet titulum, secundum quem considerari potest. Nam quatenus « Simpli- citer ut homo » spectatur, eum in naturalem suum statum reducit, omnesque inferiores potentias rationi, velut parti superiori, subjicit: deinde quatenus « politicæ » consideratur, ut « membrum communitatis, » vel republicæ, eundem perficit; dum eum suo capiti subordinat, et per hoc ipsam politicam corporis incolumitatem conservat: denique quatenus ut « Religiosus » perfectionis studiosus spectatur, ipsum perficit, dum eum Deo ipse perfectissime conjungit, et subjicit, secumque charitatem et reliquarum virtutum supernaturalium apparatus adducit.

Quartum est, ut bene cognoscat potiora impedimenta, quæ ab hoc tam necessario, ac salutari obedientiæ exercitio impediunt, simulque apta sciat media pro iisdem removendis. Sunt autem ejusmodi impedimenta quatuor præcipue, et ea fere, quæ auditum quo minus vocem ab alio prolatam exaudiat, impediunt. 1. Est, « si organum auditus sit destructum, » id est, si in Superiore non Deum, sed hominem duntaxat specte-

mus; hoc enim errore perseverante, mirum non est, si Superioris mandata temere negligantur. Unde facile patet, quod sit remedium huic impedimento admoventium, illud scilicet, quod S. Ignatius præscripsit dicens: Versari debet ob oculos Deus Creator ac Dominus noster, propter quem homini obedientia præstatur; 2. Est « si digiti auri inferantur, » id est, carnalis amor cor occupet; nam, ut recte Thomas de Kempis dixit, Part. V, c. 1, § 1. Quia adhuc nimis inordinate te diligis, ideo plene te aliorum voluntati resignare trepidas. Hinc remedium ab eodem dictatum arripiendum: Juvat non quælibet res adepta vel multiplicata exterius sed potius contempta, et decisa ex corde radicibus. Noli ergo concupiscere, quod non licet habere. Noli habere, quod te potest impedire, et libertate interiori privare, lib. III, c. xiii, § 2, lib. III, c. xii, § 3. 3. Est, « tumultus hominum » id est, respectus, et timor iisdem displicendi; pro quo proin removendo adhibendum iterum est medium a Thoma Kempensi suppediatum dum ait: Quis es tu, ut timeas a mortali homine? hodie est, et cras non comparet. Deum time, et hominum terrores non expavesces. 4. Est « strepitus aquæ aut alterius rei » id est, cura, et sollicitudines animum velleantes; vere enim frequenter frustra conturbatur homo: thesaurizat, et ignorat cui congregabit ea. Unde sequendum S. Pauli consilium dicentis: Nolite conformari huic sæculo (inutilibus vos curis gravantes) sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, et perfecta.

CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Ex occasione sententiæ: « Et erat subditus illis, » Luc., n. 31, ostendi possunt fructus obedientiæ, quod scilicet obediens, 1. Crescat ætate, quæ annos non simpliciter, sed bene, id est, juxta Dei voluntatem transactos numerat. 2. « Sapientia, » id est, sapida scientia, omnes suas actiones velut media ad divinum beneplacitum velut ultimum finem ordinante. » 3. Gratia apud Deum, et meritis supernaturalibus. uti ex § 10, n. 8, patet. 4. « Gratia apud homines, » uti ex n. 5, ejusdem § patet, item et ex variis historiis § 5, n. 30, 31, citatis.

Ex occasione thematis: « Hæc est via, ambulata in ea, » Is., xxx, probari potest, quod obedientia sit optima via ad cælum, quia habet omnes proprietates ad optatam viam requisitas. Nam 1, est via « certa, » cum sit inter signa certiore prædestinationis, uti § 10, n. 10, demonstratum est. 2. Via « recta et brevissima: » quia de eo, qui ipsam ingreditur, vere dici potest: Consummatus in brevi explevit tempora multa, » Sap., iv, 23, uti exemplo Dosithei sæpius citati patet. 3. Via « secura, » quia non suo, sed aliorum immittitur iudicio, atque adeo nullis erroribus aut insidiis est obnoxia. 4. Via « jucunda » et « plana: » cum de hac ipse Christus dixerit: Jugum meum (id est, obedientia) suave est, et onus leve. Adde quod plerique homines Sancti hanc viam calcare soliti non leve exemplo suo atque consortio levamentum, atque solatium afferant.

Ex occasione thematis: « Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra et luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata, » Can., vi, 9, potest ostendi, quomodo hæc prædicata, obedientiæ studiosæ animæ convenient. Et 1, quidem quomodo, ut aurora consurgens per viam purgativam dum progreditur, dum devicta omnium vitiorum radice, nempe voluntate propria, plenam de omnibus vitiis victoriam refert. 2. Quomodo per viam illuminativam progressa, appareat plena ut luna, eo quod obedientia omnes virtutes menti inserat, insertasque custodiat; id quod per inductionem potiorum virtutum ostendi potest. 3. Quomodo per viam unitivam progressa, splendeat electa ut sol, quatenus proprium est obedientiæ, charitatem Dei velut sociam adducere, et per hanc Deo perfectissime unire. 4. Quomodo sit terribilis ut castrorum acies ordinata demonibus, ut qui neminem sic timent, ac eum, qui voluntatem propriam abdicavit, utpote sine qua impossibilem sibi de quoquam victoriam esse sciunt.

Ex occasione thematis: « Obediens loquitur victorias, » Ps. xxi, 28. Ostendi potest, quomodo multiplicem hostem, sed quadruplicem præcipue vincat obediens. 1. « Diabolum, » juxta illud S. Gregorii: cum hominibus pro Deo subjiciamur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. S. GREG., l. IV in I Reg. c. v. 2. « Mundum, » quia teste S. Chrysostomo,

nil aliud est mundum vincere, quam pessimorum hominum (et sui ipsius maxime) voluntati conversatione contradicere, et Dei voluntatem amplecti; hæc autem ille solus facit, qui fideliter ejus mandatis obedit. S. CHRYS., hom. xviii, in Joan. iii. « Carnem propriam, » id quod eleganter S. Bernardus super illa verba: Beati mites, quoniam possidebunt terram: ostendit, dicens: « Hanc ego terram corpus nostrum intelligo. Quod si possidere vult anima, si regnare desiderat supra membra sua, necesse est, ut sit ipsa mitis, et Superiori suo subjecta, quoniam tale inveniet inferius suum, qualem se exhibuerit Superiori; armatur enim creatura ad ulciscendam sui injuriam Creatoris. Et ideo noverit anima, quæ rebellem sibi invenit carnem suam, se quoque minus, quam oporteat, superioribus potestatibus esse subjectam. Mansuescat ipsa, et humilietur sub potenti manu Dei Altissimi, subjecta sit Deo, et his pariter, quibus vice ejus habet obedire Prælati, et continuo corpus suum inveniet obediens, et subjectum. S. BERN., s. de Omn. Sanctis Certe si homo in eo, quod factus est, perdurasset, non esset potestas inimico ad carnem ejus accedere, et animæ contraria consurrare, ait recte Sanctus Ambrosius. S. AMBR., apud JAC ALV., t. II, l. V, p. iii, c. xvi, 4. « Seipsum: » quia, ut Sanctus Gregorius ait, dum aliena voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Et hæc est præcipua obedientiæ victoria; quia homo vincens semetipsum, qui viciat reliqua omnia, fortior ostenditur, et majorem ex hoc facinore, quam ex aliis gloriæ assequitur. Vincit seipsum, quia suis desideriis vim infert, et libens propter amorem Domini alterius voluntati subjicit. Vincit seipsum, quoniam quidquid ipse est, et potest, fervore obedientiæ superat, ut non propria iudicium sequatur, aut propriam voluntatem faciat, sed Dei ac Prælatorum mandata custodiat. Quæ omnia fusiis apud Jacobum Alvarum loco paulo ante citato explicata videri possunt. S. GREG., XXXV. Mor. c. x.

Ex occasione ejusdem thematis posset explicari multiplex præmium obedientiæ, eumque in finem assumi sententia Sancti Hieronymi sic loquentis: Quia dum per obedientiam sua desideria vincere satagit, per justitiam iudicis postmodum victorie palmarum præripit. S. HIER., in V. 28, Prov., xxi. Is est ille, cui victoriam de se consecuto, tam

illustria præmia in Apocalypsi promittuntur. 1. Ut Christum vitæ lignum in suavitate manducet, juxta illud: Vincenti dabo edere de ligno vitæ. 2. Ut æternam damnationem ignoret, juxta id: Qui vicerit, non lædetur a morte secunda. 3. Ut puritate ditatus, arcana divina cognoscat juxta illud: Vincenti dabo manna absconditum, et calciculum candidum. 4. Ut suis appetitionibus dominetur juxta illud: Qui vicerit, et custodierit in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eos in virga ferrea. 5. Ut in hac vita, et futura virtutum præmiis cum honore vestiatur, juxta illud: qui vicerit, sie vestiatur, vestimentis albis, et non delebo nomen ejus de libro vitæ, et confitebor nomen ejus coram Patre meo, et coram Angelis ejus. 6. Ut alios instar columnæ verbo, et exemplo sustentet, juxta illud: Qui vicerit, faciam eum columnam in templo Dei mei. 7. Ut cum Christo obedientiam capite, in æternum regnet juxta illud: Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo. Quæ omnia facile dilatari, aut etiam alio modo explicari possunt. APOC., II, v. 7, n. 14.

Ex occasione thematis: « Melior est obedientia, quam victimæ: » explicari potest, quomodo obedientia omnes victimas antiqui testamenti eminenter contineat. Et 4. quidem sit pinguisimum « holocaustum » cum per illam totus homo in sacrificium cœdat. 2. Sit sacrificium « laudis, et gratiarum actionis: » juxta illud Sancti Augustini: Vis semper laudare Deum? bene fac omnia (quod fit per perfectam obedientiam) et laudasti Deum. In Psalm. cxlviii. 3. Sacrificium « propitiatorium » seu « pro peccatis » quia est efficacissimum medium ad peccatorum remissionem impetrandam juxta illud S. Greg. Tanto quisque Deum citius placat, quanto ante oculos ejus repressa arbitri sui superbia gladio præcepti se immolat. S. GREG., I, XXXV, Mor., c. x. 4. Sacrificium « pacificum » quia miram habet virtutem ad varia dona a Deo impetrandam. 5. Sacrificium « Eucharisticum: » quia revocat in memoriam cruentum sacrificium, quo Christus seipsum Patri æterno obtulit, dum obediens usque ad mortem crucis factus est. Quæ omnia longe perfectiori modo convenire obedientiæ, quam veteribus sacrificiis facile probari potest, ut adeo merito Christus per Davidem dixerit: « Sacrificium, et oblationem nolui: aures autem perfecisti mihi. Holo-

caustum, et pro peccato non postulasti: tunc dixi, ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem, Deus, voluntatem tuam. Ps. xxxix, 7.

Ex occasione thematis: « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra: » Ps., xciv, 8: potest ostendi, cur vocem Superioris libenter audire debeant Subditi, nempe quia habet omnes proprietates vocis illius, quæ a seculi filiis libenter et prompte auditur. Est enim 1. vox potentis: nempe ipsius Dei, de quo S. David dixit: « Dedit vocem suam, et mota est terra; » Ps., xlv, 6; si ergo Regum, et Dominorum hujus mundi vox tam celeriter auditur, quanto promptius vox Regis Regum et Domini dominantium audienda erit? 2. Est vox sapientis: imo ipsius Sapientiæ increata, quæ per Superiorem loquitur? quidni ergo sibi quisvis a Patre æterno de Superiore dictum credat: « Hic est Filius meus dilectus, in quo tanquam vicario meo, mihi complaui: ipsum audite? » Luc., ix, 35. Quidni dicamus cum Regina Saba: Beati viri tui, et beati servi tui hi, qui assistunt coram te omni tempore, et audiunt sapientiam tuam. II PARAL., c. ix, 7, 3. Est vox amantis, miram amoris dulcedinem spirans, uti sponsa experta est, dum anima illius liquefacta est, ut dilecta ejus locutus est. Quidni ergo dicatur cum eadem sponsa: sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora. CANT., II, 14, 4. Est vox præmiantis, cum hoc ipso, quod aliquid per Superiores imperare dignetur Deus, ad premium vocet promissum illi, qui sermonem suum servaverit; adeoque illi quodammodo verba ad Sponsam olim dicta occulte insurret: « Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni coronaberis. » CANT., IV, 8.

Ex occasione thematis: « Invidia diaboli introivit mors in orbem terrarum. » SAP., II, 24. Explicari possunt impedimenta, quæ communiter obijcere solet dæmon, ne vox Superiorum exaudiatur: quæ quidem supra § 12, n. 4, explicata videri possunt.

ALII CONCEPTUS.

QUALITAS. — Observandum, quod Moyses de aliarum creaturarum irrationabilium productione dixerit: « Et vidit Deus, quod esset bonum, » scilicet immediate postquam illas

creavit; non vero idem de homine dixit, licet is velut parvus quidam mundus creatus fuerit. Scitisne quidnam in eo lateat mysterii? nimirum bonitas hominis ex ejus obedientia judicare debet, quia homo in tantum bonus erit, in quantum præcepto Creatoris sui fuerit obediens, et subjectus. Eandem quoque observationem Bellovacensis super prædicta verba expressit dicens: Licet dicatur homo relictus esse in manu consilii sui, sicut dicitur Ecclesiastici xv. « Deus ab initio, etc. » non est tamen intelligendum, quod ei licitum sit facere, quod velit: sed quia id, quod faciendum est, non cogatur de necessitate naturæ facere, sicut creaturæ irrationales, sed libera electione ex proprio consilio procedente. MANSI, II, LIV, d. 1, n. 3.

Elizæ Propheta a Deo olim, prout in c. XIX, l. III, Reg. legitur, mandatum fuit: « Egredere, et sta in monte coram Domino, et ecce Dominus transit, et spiritus grandis, et fortis, subvertens montes, et convertens petras ante Dominum. Non in spiritu Dominus; et post spiritum commotio. Non in commotione Dominus; et post commotionem ignis. Non in igne Dominus; et post ignem sibilus auræ tenuis. Et in hoc tenet auræ sibilus, Deus coram Propheta transiens, videndum se exhibuit; » omnia autem in figura contingebant illis; etenim ex hoc verus obediens infallibiliter agnoscitur, quando non solum obedit ad promulgationem legum, vel ad intimationem, seu comminationem penarum transgressoribus infligendarum, vel ad solam vocem præipientis obtemperat; verum etiam ad quemlibet nutum, et sibilum obedit, et voluntati Superioris occurrit; quisquis enim hoc facit, Deum in se esse manifeste ostendit. Ib., d. xviii, n. 5.

Refert Herodotus de Amasi, qui ex viii plebecula ad Regnum Ægypti assumptus fuit, quod, dum populum suum ob infamiam illius conditionem venerari dedignaretur, hoc fuerit usus consilio. Simulacrum quoddam Dei illius, quem adorabant, ex materia vasis ænei, in quo pedes lavabantur, fundi fecit, illudque publicæ adorationi exposuit. Cumque vidisset illud ab omnibus reverenter coli, dixit illis: Ob eandem igitur causam, et me tanquam Regem vestrum agnoscere, mihi que obedire debetis, non tam meos considerando natales, quam personam illius quem repræsentato. Ita quoque idem Ægyptii Josepho Ægypti Vice-Regi debitos exhibere honores, et reverentiam minime renebant, tametsi illum pastorum ovium filium et fratrem esse scirent, quorum professio Ægyptiis abominabilis erat; imo tametsi scirent, eum tot annis ejustandam Ministri Autæ, id est, Putipharis, fuisse mancipium et servum, cui manus ejus in cophino servierunt. Ib., d. xviii, n. 8.

Celebris est illa Ezechielis Propheta exhibitæ visio, quam his verbis describit: « Facies una, facies Cherubim; et facies secunda, facies hominis; et in tertio facies leonis, et in quarto facies aquilæ. » In omnibus aliis ejusdem Propheta locis, ubi hæc visio recensetur, pariter facies bovem exprimitur loco faciei Cherubinice; unde colligitur hoc loco bovem in Cherubim transmutatum fuisse. Porro bos, qui adeo piger, et stolidus est, nequit æquiparari generositati leonis, nec velocitati aquilæ, nec hominis scientiæ; et tamen hic bos in Cherubim transmutatus, primo loco positus, omnes præcedit, adeo ut aquila, leo, et homo, bovi in Cherubim transmutato venerabundam videantur exhibere reverentiam; tametsi ob ignorantiam, negligentiam, et stoliditatem bos quidam esset. Hæc autem omnia in figura contingebant; voluit enim Deus per hoc innuere, quod tametsi Prælatus intracitabilis sit, et instar bovis stolidus, nihilominus tamen honorari debeat, veluti quidam e cælo dilapsus Cherubim, id est, ac si altissima esset scientia et sapientia dotata, quia Deum representat. Notandum vero, quod Ezechiel dicat: « Ibi erat impetus Spiritus, » quia Deus iis, qui locum suum tenent, specialiter divinum suum spiritum imprimit. Ib.

Sponsa in sacris Canticis se, audita voce celestis amatoris sui, intus in anima, et corde liquefactam fuisse dicit: « Anima mea liquefacta est, ut locutus est. » Quo loquendi modo, ni fallor, perfectissimam quamdam innuere voluit obedientiam. Etenim si auriferæ in manu sua ampullam quamdam auro liquefacto plenam habens, aurum illud interrogaret, in quidnam sibi magis charum ornamentum, aut vas, se adhiberi vellet, an scilicet ex se annulos, an catenam aut torquem auream, an vero coronam regiam fieri mallet? utique si sensu, usque rationis præditum esset, responsurum esset, ad omnes aurificæ collibitas figuras subeundas, perinde se æque promptum, et dispositum esse: eodem quoque sensu, et modo sponsa id est, anima electa locuta fuisse videtur,

scilicet ad vocem, et præceptum Dei indifferenter, et ad omnia, quæ sibi placeret imponere, exactissime exequenda se esse promptissimam: Anima mea liquefacta est per incendium charitatis (ita prædicta sponsa verba Richardus de S. Victore exponit) parata videlicet instar metalli liquefacti decurrere in omnes modulos divinæ voluntatis. Eundem quoque sensum Gillibertus Abbas his verbis indicat: Magna in liquefactis ad sequendum mobilitas, et prompta voluntas. Intelligitis jam, ut arbitror, in liquefactis ad obediendum aptitudinem grandem, humilis animæ affectum tractabilem. *ib.*, d. xxii, n. 1.

Apud Jobum scribitur: « Numquid mittes fulgura, et ibunt, et reverentia dicent tibi, adsumus? » Ubi Cajetanus advertit, quod in Hebræo non habeantur hæc verba: « Et reverentia, » sed solum: « Et dicente tibi, ecce nos; » Pineda tamen ait: « Eo ordine, quo scripta est, accipienda est sententia, ut postquam reversa fuerint, dicant, Adsumus ecce nos: obsequi nimirum vox non solum præstandi, sed, et præstiti; quasi dicant: Ecce jam absque ulla mora imperata confestim. » Etenim vero, ut experientia docet, fulguri proprium est, prius oculis nostris apparere per fulgorem evibratum, quam tonitru strepitus ad aures perstringat; ac proinde fulgur, apta est veri ac perfecti obedientis figura, utpote cui similiter proprium est, quod priusquam præcepti Superioris tonitru audiatur, jam de facto illud ipsum resplendeat, per exactam ejusdem præcepti executionem, et adimpletionem. Tales erant monachi tempore S. Hieronymi, de quibus idem Doctor in hæc verba scripsit: Subditi ante conabantur jussa implere, quam forent emissa, et quibusdam quodammodo indicis nitentur prophetare de voluntate mandantis. *ib.*, d. xxiii, n. 8.

Dionysius Carthusianus subdit: In hoc patet suæ obedientiæ promptitudo, et devotionis alacritas, siquidem Dominus dixerat ei: Esto paratus mane et ipse surrexit nocte. Cum Abraham domiens a Deo jussus fuisset filium Isaac sacrificium immolare, dicit sacer Textus: « De nocte consurgens; » non expectavit auroram, quantumvis credibile sit, quod affectus paternus eum extimulaverit ad differendam præcepti adeo ardui, et legi naturali repugnantis executionem, quantum poterat. Attamen ipse de nocte consurgens, adoriri voluit præcepti executionem:

Verebatur enim, ne votum mora offenderet, inquit D. Chrysostomus, aut jussionem tarditas impediret. *ib.*, n. 3.

Propheta Regius se per suam erga Deum obedientiam, ut jumentum factum fuisse asserit: Et quidem quod id ipsum huic obedientiæ virtuti attribuerit, ex verbis sequentibus clare deducitur, quia ait: « Tenisti manum dexteram meam et in voluntate tua deduxisti me, » quasi diceret omnes actiones meas juxta divinæ voluntatis tuæ voluntatem ordinasti. At vero cur se jumento potius assimilavit, quam alteri cuiquam animali, videbatur enim, quod, ut jumentum quamdam exprimeret obedientiam, melius dicturus fuisset: Ut mancipium factus sum apud te: Pro resolutione observandum, hanc inter mancipium, et jumentum intercedere differentiam, quod, quando mancipium aliquod, vel servus emptitius ad pondus aliquod portandum vires suas insufficientes esse censet, vel honeste se excuset, vel certe oneris experientiam facere tentet; non vero sic jumentum; hoc enim os suum non aperit, nec recalcitrat, sed onus sibi impositum sine excusatione recipit, quod agit, graditur, nec unquam conqueritur, neque discurrit. Talem se David apud Deum fuisse asserit, quando de præstanda ei obedientia agebatur. Nam sine discursu, aut examine, sine excusatione vel contradictione, quicquid ei impositum esset, vel Dei voluntati conformare judicare poterat, prompte exequabatur, hæcque ratione gratiam Dei sibi comparavit, dicentis: « Inveni virum secundum cor meum, quia fecit omnes voluntates meas. » *ib.*, d. xxiv, n. 1.

Saulus mox ut in Paulum mutatus, et ex persecutore Apostolus factus fuit, sine dilatione voluntatem suam in manus Dei consignavit, dicendo: « Domine, quid me vis facere? » Ut vero Deo cæcæ obedientiam quam maxime placere intelligeret, sacer Textus de Paulo ait: « Nihil videbat. » Denum vero eundem ad Ananiam misit, quia obedientia fertur ad audita exequenda, verus enim obediens solas aures habet ad audiendum, non autem oculos apertos ad videndum. *ib.*, n. 50.

ÆQUITAS. — Quod Deus in creatione hominis nullum alium sibi scopum habuerit præfixum, quam ut illum sibi obedientem efficeret, ex hominis formatione sufficienter colligitur; nam ut sacer textus ait: « Formavit igitur Dominus Deus hominem de

limo terra, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ. » Voluit igitur Deus hominem ex terra non solida, sed aqua humectata producere, ut esset flexibilior ad omnes Psalmatoris collibitas formas recipiendas. Nam ut S. Paulus ad Romanos ait: « Voluntati ejus, quasi resistit? Numquid dicit jumentum ei, qui finxit? Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus lutu, ex eodem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? » *ib.*, d. i, n. 3.

S. Anselmus non solum ad lutum, e quo plasmatus sumus, verum etiam ad flatum et aspirationem, qua Deus nobis animam infudit, se reflectit inquiens: « Nonne obtulerimus Deo, qui formavit hominem de limo terræ, et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ? » Non enim de materia fecit spiritum hominis, sicut corpus, sed de nihilo per insufflationem suam creavit, et ita se Patrem spiritus esse quodammodo demonstravit. Ideo etiam Pater spiritum dicitur, quia nos in Baptisma secundum spiritum generavit. Unde hanc deducit consequentiam, quod videlicet ideo Deo magis debeamus esse obediens, magisque subjecti, quam simus erga patres nostros carnalibus: Et huic magis, inquit Anselmus, quam carnalibus parentibus obtemperare debemus. S. ANSELM., ad *Heb.*, c. xii.

Omnes creaturæ ab omnipotenti Creatoris manu tali cum sapientia, et dispositione esse suam acceperunt ut omnes exemplo suo nos obedientiam doceant. Nam ut S. Bonav. in capite, cui titulus est: Cur sit obediendum aliis? inquit: « Omnis creatura ita est ordinata a Deo quod licet ipse Deus omnibus, et singulis ita præsit, ut ab ipso solo accipiant, quod sunt, et habent, et possunt, tamen propinquiora sibi, non loco, sed similitudine plenius accipiunt ab ipso, quod ferioribus, et sibi propinquioribus influant, et illa iterum suis inferioribus usque ad infimum, et inferiora superioribus subdita sint et superiora inferioribus præsent, et ea regant, ut summa mediis, et media præsent imis. Sic Angeli superiores inferioribus præsent, et cælestia terrenis, et irrationalibus rationalibus. » S. BONAV., t. VII, l. II, de *Projectu relig.*, c. xxix.

Quantum Christus obedientiam amarit, primum in cælos ascenderet, ostendere voluit, siquidem, ut ex monte Oliveti in cælum ascenderet, prius Bethaniam transire

voluit, quæ, ut paulo ante diximus, idem significat, quod domus obedientiæ; nam Luca ultimo dicitur: « Eduxit autem eos foras in Bethaniam, et elevatis manibus suis benedixit eis. » Ubi S. Bonav. ait: Bethania quippe domus obedientiæ dicitur; in figura hujus Deus ascendit in cælum de Bethania. IDEM., t. VI, *Diat. sal.*, tit. III, c. n.

Obscurus est sensus verborum illorum, quæ Ecclesia in festo Ascensionis Christi canere solet, videlicet: « Ascendens Christus in altum, captivam duxit captivitatem. » Quid enim per captivam captivitatem hoc loco intelligendum venit? Num forte Ecclesia vult dicere, quod Christus in cælum ascendens, secum duxerit animas illas, quæ velut in deposito in sinu Abraham captivæ detinebantur, ut easdem celestis gloriæ faceret participes? At vero si hic verborum illorum sensus est, potius dicendum fuisse videbatur, liberam duxit captivitatem, quia easdem secum ducibat, ut vera filiorum Dei libertate gauderent. Necessum igitur est dicere, Filium Dei tanto fuisse obedientiæ amore captum, ut etiam impassibilis, et immortalis ad dexteram Patris residens, continuo, et sine ulla intermissione in hæc se virtute exercere voluerit. Ac proinde malum invenit, quo in Sacramento Eucharistiæ a se instituto in species Sacramentalis, quotiescumque verba consecrationis a Sacerdotibus pronunciantur, obedientissimus descenderet: Obediente Deo voci hominis; captivam ergo duxit captivitatem, id est, humanitatem, quam in terris assumpserat, veluti mancipium et servam, soli modicorum verborum expressioni ad descendendum sub species panis et vini subjectam in cælos deduxit. Quisnam excogitari potest efficax stimulus hoc, ut obediens efficeretur? Quis unquam inventus est, qui adeo expedite et exacte majoribus suis obediat, quemadmodum quotidie Christus, Rex gloriæ, suis obedit ministris et servis, Creator creaturæ? Circa hanc obedientiæ suæ imitationem Blossius sequentem refert Salvatoris nostri revelationem, inquiens: Christus sepius revelare dignatus est, quod quilibet Christianus imitari debeat humilem suam obedientiam, quia ipse obediit Patri suo cælesti, et hominibus non solum bonis, verum etiam impiis. Neque enim hæc virtus præclarissima a solis Monachis, vel Monialibus, sed prorsus ab omnibus eximie coli, et servari potest. MANSI, tr. lvi, *disc.* n. 8.